

Hi omnes vel maior horum pars feliciter constituta, in signem matris fortunam significat. Quod si male affecti fuerint, matrem miseram & afflictam morbis, aegritudinibus & alijs incommodis ostendunt.

Porro ex collatione significatorum patris & matris colligitur facile utrius parentis status sit fœlicior futurus quo ad bona fortuna, corporis & animi. Cuius enim significatores fortiores erunt, eius status iudicandus est fœlicior, & maior futura ætas.

## DE MVTVA CONCORDIA PARENTVM,

In diurna nativitate considera Solem et Venerem, & iuxta eorum inter se configurationem de mutuo amore parentum iudica. Si enim Sol aspicerit Venerem benigno radio ut trigoно aut hexagano, etiam coniunctione, concordiam & benevolentiam significat. Si vero quadrato aut opposito radio, aut si in separatis signis fuerint, hoc est, si proorsus nullus aspectus inter eos intercesserit, discordia & odium significatur. Et hoc malū erit vehementius si ex angulis se aspiciant hoc modo. Item quo partilior fuerit aspectus eo maior concordia vel dissensiō erit futura: quo magis platicus eo minor &c.

In nocturna genitura considera Saturnum & Lunam, & ex horum inter se configuratione eadem ratione de mutuo amore vel odio parentum iudica.

## DE AMORE PARENTVM ERGA NATVM, & uter ex parentibus natum magis diligit.

Si significatores parentum supra constituti, benigno aspectu configurantur cum domino Horoscopi, amor & concordia inter parentes & natum futura est. Contra, si maligno aspectu. Atq[ue] inde etiam constabit utrum pater vel mater magis diligat natum. Si enim significatores patris pro toto vel maiori parte benignè configurantur domino Horoscopi. Matris vero maligne, pater plus diligit natum quam mater.

## EXEMPLVM PRIMÆ GENITVRAE,

Significatores patris in hac genitura sunt.

1 Cuspis quartæ domus, quam occupat Grad. 10, M. 12. Geminorum.

2 Mercurius dominus eius.

3 Sol naturalis significator patris in diurna genesis.

Primus horum significatorū fortis est omnino. Nam propter signū ipsum, deinde propter trinum Veneris & Sextilem Iouis dextrum. Item terminū benigni planetæ & radio, rum Solarium absentiam, 17. testimonia fortitudinis habet. Debilitatis tantum 4. propter oppositum Saturni aspectum.

Secundus itidem fortissimus est, ut supra ostendimus.

Tertius mediocris.

Cum igitur significatores maiori ex parte fortes sint & fortunati, ostendunt patris fortunam magna ex parte secundam futuram. Sed Solis in extremo gradu Leonis constitutio, & Saturni oppositus ad quartam, omnia tamen ornamenta facit imbecilliora &c.

Significatores matris in hac genesis.

1 Gradus 10. M. 12. Sagittarij occupans initium decimæ domus.

2 Iuppiter dominus eius.

3 Venus naturalis significatrix matris in diurna genesis.

4 Saturnus constitutus in decima.

Primus horum significatorum fortis est, sed præsentia Saturni incommodat ei.

Secundus mediocriter constitutus. Tertius fortis. Quartus similiter potens.

Ergo cum maior pars significatorū matris sit bene constituta, statū maiori ex parte prosperum decernit. Neq[ue] tñ omnino deerunt incommoda quædam animi et corporis, propter Saturnū in medio cœli, & Iouem in loco abiecto, & Martis ad eum malignū aspectum.

cc 5 Porro